An. et vol. XXXXIII 26 Februarii 1951 (Ser. II, v. XVIII) - N. 3

# ACTA APOSTOLICAE SEDIS

## COMMENTARIUM OFFICIALE

Conto corrente con la Posta

**SUMMARIUM**

**Acta Pii Pp. XII:** Constitutiones Apostolicae, p. 97 - Litterae Apostolicae, p. 105 - Allocutio, p. 112 - Nuntii radiophonici, p. 118.

**Acta SS. Congregationum:** *S. C. de Propaganda Fide*: Decreta, p. 127 - *S. C. Rituum*: I. Decretum de solemni vigilia paschali instauranda, p. 128. II. III. Decreta in causis beatificationis Servorum Dei, p. 138.

**Acta Tribunalium:** *S. R. Rota*: Citatio edictalis, p. 143.

**Diarium Romanae Curiae:** Segreteria di Stato: Nomine, p. 144.

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS

M · DCCCC · LI

**Directio:**
Palazzo Apostolico — Città del Vaticano

**Administratio:**
Libreria Editrice Vaticana

**Pretium annuae subnotationis:**
In Italia, Lib. 800 — extra Italiam, Lib. 2000 vel $ 4

**Pretium unius fasciculi:**
In Italia, Lib. 75 — extra Italiam, Lib. 180 vel $ 0,25

Libraria Vaticana subnotatoribus fasciculos Commentarii mittere potest etiam via aërea, charta indica impressos.

« *Bis fere in mense* (Commentarium) *prodibit ac quotiescumque vel necessitas vel utilitas id postulare videbitur* » (Ex *Commentarii Officialis* ratione, die 29 Octobris 1908 edita).

# INDEX HUIUS FASCICULI

(An. XXXXIII, n. 3 – 26 Februarii 1951)

## ACTA PII PP. XII


CONSTITUTIONES APOSTOLICAE

PAG.

I. ARCIS VICTORIAE. *In Arcis Victoriae.* – Praefectura Apostolica Arcis Victoriae in Vicariatum Apostolicum eiusdem nominis evehitur. – 24 Iunii 1950 97

II. INSULARUM SUNDAE MINORUM (Denpasarensis). *Nimia territorii.* – A Vicariatus Apostolici Insularum Sundae Minorum territorio insulas Bali et Lombok distrahuntur, quarum territorium in novam Praefecturam Apostolicam, Denpasarensem nomine, erigitur. – 10 Iulii 1950 . . . 99

III. LUSAKENSIS. *Si sedulis Evangelii.* – Praefectura Apostolica Lusakensis in Vicariatum Apostolicum evehitur. – 14 Iulii 1950 . . . . . 100

IV. JOSENSIS ET OTURKPOËNSIS AC BUEAËNSIS (Yolaënsis). *Ad evangelizationis.* – A Praefecturis Apostolicis Josensi et Oturkpoënsis atque a Dioecesi Bueaënsi provincia civilis Adamawa una cum orientali portione provinciae de Bornu seiungitur, et nova erigitur Praefectura Apostolica Yolaënsis. – 14 Iulii 1950 . . . . . 102

V. DE PILCOMAYO. *Si per Evangelii.* – Praefectura Apostolica de Pilcomayo in Vicariatum Apostolicum eiusdem nominis evehitur. – 14 Iulii 1950 . . 103

LITTERAE APOSTOLICAE

I. *Traditum.* – Ad dignitatem et honorem Basilicae Minoris evehitur Paroecialis Ecclesia B. Mariae Virginis Perdolentis, vulgo « Nossa Senhora da Penha » nuncupata, in civitate « Pernambuco » Olindensis et Recifensis Archidioecesis. – 28 Octobris 1949 . 105

II. *Veterum monasteriorum.* – Basilicae Minoris titulo ac dignitate afficitur Paroecialis Ecclesia Prumiensis, intra fines Trevirensis Dioeceseos, Divino Salvatori dicata. – 10 Iunii 1950 106

III. *Quas moles.* – Cathedralis Ecclesia Halifaxiensis, in Canadensi dicione, Basilicae Minoris titulo honoribusque augetur. – 14 Iunii 1950 . . . . 108

IV. *Mira religionis.* – Basilicae Minoris honoribus decoratur Paroeciale Templum S. Nicolai Myrensis, in oppido « Saint-Nicolas-de-Port » intra Nanceiensis Dioecesis fines. – 25 Iunii 1950 . . . . . 109

V. *Imaginem.* – Beata Maria Virgo « a Miraculis » in aede loci « Casalbordino » venerata, totius Vastensis Dioecesis Patrona caelestis declaratur. – 31 Iulii 1950 . . . . . 111

ALLOCUTIO

Ad Parochos Urbis et Concionatores sacri temporis quadragesimalis. – 6 Februarii 1951 . . . . . 112

NUNTII RADIOPHONICI

PAG.

I. Delegatis Viris ab Actione Catholica Lusitaniae, ob Conventum Primum Nationalem Olyssippone coadunatis. – 10 Decembris 1950 . . . . . 118

II. Christifidelibus ob Primum Conventum Marialem in urbe Ssmae Conceptionis, quarto abhinc saeculo condita, e tota Cilena Republica coadunatis. – 31 Decembris 1950 . . . . . 122

III. Alumnis Scholarum Catholicarum Statuum Foederatorum Americae Septentrionalis ad sollicitandam caritatem erga pueros indigentes aliarum Nationum. – 25 Ianuarii 1951 . 125


## ACTA SS. CONGREGATIONUM

### S. CONGREGATIO DE PROPAGANDA FIDE


I. *Indiarum.* – Decretum. De mutatione nominis Ordinariatuum in India. – 21 Octobris 1950 . . . . . 127

II. *Laosiensis* (Thareensis). – Decretum. Vicariatus Apostolicus Laosiensis, deinceps « Thareensis » appellabitur. – 21 Decembris 1950 . . . . . 128


### SACRA CONGREGATIO RITUUM


I. Decretum. De solemni vigilia Paschali instauranda. – 9 Februarii 1951 . . 128

Rubricae Sabbato Sancto servandae si vigilia paschalis instaurata peragatur . . . . . 130

II. *Romana.* – Decretum de miraculis pro beatificatione Pii Pp. X. – 11 Februarii 1951 . . . . . 138

III. *Tunquinen.* – Decretum de martyrio et causa martyrii nec non de miraculis pro beatificatione Servorum Dei Iosephi Mariae Diaz Sanjurjo, O. P., Episcopi et Vicarii Ap. Tunquini Centr., Melchioris Garcia Sampedro, O. P., Episcopi Tricomien., in eodem Vicariatu Successoris et Sociorum in odium fidei, uti fertur, interemptorum. – 11 Februarii 1951 . . . . 140


## ACTA TRIBUNALIUM

### SACRA ROMANA ROTA


Citatio edictalis:

*Nanceien.* – Nullitatis matrimonii (Bellamy-Picaudé). – 12 Februarii 1951 . . 143


## DIARIUM ROMANAE CURIAE


Segreteria di Stato: *Nomine* . . . . . 144

An. et vol. XXXXIII 26 Februarii 1951 (Ser. II, v. XVIII) – N. 3

# ACTA APOSTOLICAE SEDIS

## COMMENTARIUM OFFICIALE

# ACTA PII PP. XII

## CONSTITUTIONES APOSTOLICAE

### I

### ARCIS VICTORIAE

PRAEFECTURA APOSTOLICA ARCIS VICTORIAE IN VICARIATUM APOSTOLICUM EIUSDEM NOMINIS EVEHITUR.

PIUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

In Arcis Victoriae Praefectura Apostolica catholicam rem non parva suscepisse incrementa et missionalia opera multiplicata esse, Deo adiuvante, per Societatis Missionum Exterarum de Bethlehem in Helvetia Missionariorum, quibus illa concredita est, indefessum studium constantemque laborem, laeto accepimus animo. Quare venerabiles Fratres Nostri S. R. E. Cardinales Sacro Consilio Christiano Nomini Propagando praepositi, attento favorabili voto venerabilis Fratris Martini Lucas, Archiepiscopi titularis Adulitani et Delegati Apostolici in Africa Meridionali, in generalibus comitiis die undevicesima huius mensis habitis, precibus annuere censuerunt, quibus dilectus Filius memoratae Societatis Superior Generalis, praefatae Praefecturae Apostolicae Arcis Victoriae in Vicariatum Apostolicum evectionem postulabat. Facultatibus itaque utentes sibi a Nobis peculiariter concessis, per totum hunc iubilarem annum valituris, omnibus mature perpensis ac certa scientia, ut testimonium quoque detur meritae laudis evangelii praeconibus inibi adlaboran-

tibus et animus ipsis simul addatur ad novos maioresque in dies exantlandos labores, Apostolicam Praefecturam illam Arcis Victoriae (vulgo *Fort Victoria*) in Apostolicum Vicariatum evexerunt et constituerunt, eodem servato nomine iisdemque sodalibus Societatis Missionum Exterarum de Bethlehem in Helvetia, ad Sanctae Sedis tamen beneplacitum, concredendum. Nos vero, hanc Sacrae Congregationis de Propaganda Fide sententiam harum Litterarum vi ratam habentes, suprema auctoritate Nostra confirmamus ideoque Vicariatum Apostolicum Arcis Victoriae uti supra erectum et constitutum declaramus et decernimus. Novo igitur Vicariatui huic eiusque pro tempore Vicariis Apostolicis omnia tribuimus iura, privilegia, honores et potestates, quibus ceteri per orbem Vicariatus Apostolici eorumque Praesules iure communi fruuntur et gaudent eosque iisdem adstringimus oneribus et obligationibus, quibus ceteri adstringuntur. Quae omnia uti supra disposita et constituta, rata ac valida esse volumus et iubemus, contrariis quibuslibet minime obstantibus. Harum vero Litterarum transumptis aut excerptis, manu tamen alicuius notarii publici subscriptis et sigillo viri in ecclesiastica dignitate vel officio constituti munitis, eamdem prorsus volumus haberi fidem, quae hisce praesentibus haberetur ostensis. Nemini autem hanc paginam evectionis, erectionis, constitutionis, commissionis, confirmationis, concessionis et voluntatis Nostrae infringere vel ei contraire liceat. Si quis vero ausu temerario id attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Apostolorum Petri et Pauli se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Petrum, anno Domini millesimo nongentesimo quinquagesimo, die vicesima quarta Iunii mensis, Pontificatus Nostri anno duodecimo.

Pro S. R. E. Cancellario

F. Card. MARCHETTI SELVAGGIANI
*S. Collegii Decanus*

P. Card. FUMASONI BIONDI
*S. C. de Propaganda Fide Praefectus*

Arthurus Mazzoni, *Proton. Apost.*
Albertus Serafini, *Proton. Apost.*

Loco ✠ Plumbi

*Reg. in Canc. Ap., vol. LXXIX, n. 75.* – Al. Trussardi.

## II

## INSULARUM SUNDAE MINORUM (DENPASARENSIS)

A VICARIATUS APOSTOLICI INSULARUM SUNDAE MINORUM TERRITORIO INSULAS BALI ET LOMBOK DISTRAHUNTUR, QUARUM TERRITORIUM IN NOVAM PRAEFECTURAM APOSTOLICAM, DENPASARENSEM NOMINE, ERIGITUR.

PIUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Nimia territorii amplitudine inter infideles gentes Missiones redundantes maxime iuvat dismembrare, aliasque Missiones constituere, aliis vigilantium Praesulum regimini curisque apostolicis concredendas. Iamvero peropportunum videtur ad maius christianae religionis incrementum comparandum et animarum bonum satius provehendum in Insulis Sundae Minoribus ad novae ibidem Praefecturae Apostolicae erectionem procedere. Venerabiles itaque Fratres S. R. E. Cardinales S. Congregationi de Propaganda Fide praepositi, habito venerabilis Fratris Georgii de Jonghe d'Ardoye, Archiepiscopi titularis Misthiensis et in Statibus Foederatis Indonesianis Internuntii Apostolici, favorabili voto, in plenariis comitiis hac die habitis, facultate utentes a Nobis per totum hunc iubilarem annum sibi concessis, omnibus mature perpensis ac certa scientia, a Vicariatus Apostolici Insularum Sundae Minorum territorio integrum insularum *Bali* et *Lombok* territorium seiunxerunt, quod in Praefecturam Apostolicam, Denpasarensem nomine, erexerunt et illam dilectis Filiis Societatis Divini Verbi Missionariis, qui plurimos iam annos impenso illic studio adlaborant, ad Apostolicae tamen Sanctae Sedis beneplacitum, concrediderunt. Nos vero, hanc Sacrae Congregationis de Propaganda Fide sententiam ratam habentes, harum Apostolicarum Litterarum vi, suprema Nostra auctoritate confirmamus ideoque novam Praefecturam Apostolicam Denpasarensem uti supra erectam et constitutam declaramus ac decernimus. Novae igitur huic Praefecturae Apostolicae eiusque pro tempore Praefectis Apostolicis omnia tribuimus iura, privilegia, honores et potestates, quibus ceterae per orbem Praefecturae Apostolicae earumque Praesules iure communi fruuntur et gaudent; eosque pariter iisdem adstringimus oneribus et obligationibus, quibus ceteri adstringuntur. Quae omnia, uti supra disposita et consti-

tuta, rata ac valida esse volumus et iubemus, contrariis quibuslibet minime obstantibus. Harum vero Litterarum transumptis, etiam impressis, manu tamen alicuius notarii publici subscriptis sigilloque viri in ecclesiastica dignitate vel officio constituti munitis, eamdem prorsus volumus haberi fidem, quae hisce praesentibus haberetur ostentis. Nemini itaque hanc paginam dismembrationis, erectionis, constitutionis, commissionis, confirmationis, concessionis, statuti et voluntatis Nostrae infringere vel ei contraire liceat. Si quis vero ausu temerario id attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Apostolorum Petri et Pauli se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Petrum, anno Domini millesimo nongentesimo quinquagesimo, die decima Iulii mensis, Pontificatus Nostri anno duodecimo.

Pro S. R. E. Cancellario
F. Card. MARCHETTI SELVAGGIANI
*S. Collegii Decanus*

P. Card. FUMASONI BIONDI
*S. C. de Propaganda Fide Praefectus*

Ludovicus Kaas, *Proton. Apost.*
Arthurus Mazzoni, *Proton. Apost.*

Loco ✠ Plumbi

*Reg. in Canc. Ap., vol. LXXX, n. 5.* - A. Liberati.

## III

## LUSAKENSIS

PRAEFECTURA APOSTOLICA LUSAKENSIS IN VICARIATUM APOSTOLICUM EVEHITUR.

### PIUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Si sedulis Evangelii Praeconum apostolicis curis Missio qualibet in catholico propagando nomine laetum, Deo favente, incrementum susceperit, ad maioris dignitatis gradum evehi oportet, congruumque est. Quum itaque in Rhodesia septentrionali Africae ditionis Britannicae Praefectura Apostolica Lusakensis, impensis Societatis Iesu sodalium laboribus, qui plurimos iam annos evangelizationis operi tam fructuose illic incumbunt, non mediore religioni augmentum comparaverit, digna sane visa est, quae ad Vicariatus Apostolici gradum evehatur. Venera-

biles igitur Fratres Nostri S. R. E. Cardinales S. Congregationi de Propaganda Fide praepositi, habito venerabilis Fratris Davidis Mathew, Archiepiscopi titularis Apameni in Bithynia, Apostolici Africae Orientalis et Occidentalis Britannicae Delegati, favorabili voto, re mature perpensa, facultate utentes sibi a Nobis per totum hunc iubilarem annum peculiariter concessa, Apostolicam quam supra memoravimus Lusakensem Praefecturam, eodem servato nomine, in Vicariatum Apostolicum erexerunt, et eiusdem Societatis Iesu sodalium curis, ad Nostrum tamen et Sedis Apostolicae beneplacitum, commiserunt. Quam Sacrae Congregationis de Propaganda Fide sententiam Nos apostolicae Nostrae potestatis plenitudine ratam habentes, harum Litterarum vi confirmamus et idcirco Vicariatum Apostolicum Lusakensem uti supra erectum et constitutum declaramus et decernimus. Novo itaque Vicariatui huic eiusque pro tempore Vicariis Apostolicis omnia tribuimus iura, privilegia, honores et potestates, quibus ceteri Vicariatus Apostolici eorumque Praesules iure communi fruuntur et gaudent; eosque pariter iisdem adstringimus oneribus et obligationibus, quibus ceteri adstringuntur. Quae omnia, uti supra disposita et constituta, rata ac valida esse volumus et iubemus, contrariis quibuslibet minime obstantibus. Harum vero Litterarum transumptis aut excerptis, etiam impressis, manu tamen alicuius notarii publici subscriptis et sigillo viri in ecclesiastica dignitate vel officio constituti munitis, eamdem prorsus volumus haberi fidem, quae hisce praesentibus haberetur ostensis. Nemini autem hanc paginam evectionis, erectionis, constitutionis, commissionis, confirmationis, concessionis, statuti et voluntatis Nostrae infringere vel ei contraire liceat. Si quis vero id ausu temerario attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Apostolorum Petri et Pauli se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Petrum, anno Domini millesimo nongentesimo quinquagesimo, die quarta decima Iulii mensis, Pontificatus Nostri anno duodecimo.

Pro S. R. E. Cancellario

F. Card. MARCHETTI SELVAGGIANI
*S. Collegii Decanus*

P. Card. FUMASONI BIONDI
*S. C. de Propaganda Fide Praefectus*

Arthurus Mazzoni, *Proton. Apost.*
Albertus Serafini, *Proton. Apost.*

Loco ✠ Plumbi

*Reg. in Conc. Ap., vol. LXXIX, n. 88.* - Al. Trussardi.

## IV

## JOSENSIS ET OTURKPOËNSIS AC BUEAËNSIS (YOLAËNSIS)

A PRAEFECTURIS APOSTOLICIS JOSENSI ET OTURKPOËNSI ATQUE A DIOECESI BUEAËNSI PROVINCIA CIVILIS ADAMAWA UNA CUM ORIENTALI PORTIONE PROVINCIAE DE BORNU SEIUNGITUR, ET NOVA ERIGITUR PRAEFECTURA APOSTOLICA YOLAËNSIS.

PIUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Ad evangelizationis opus in Nigeria et in Cameroon, Africae Occidentalis ditionis Britannicae regionibus, firmandum augendumque valde opportunum visum est novam erigere Praefecturam Apostolicam, Ordinis Fratrum Eremitarum S. Augustini sodalium curis concredendam, qui iam ab anno millesimo nongentesimo trigesimo octavo tam impense illic adlaborant cum laetis, Deo favente, sui apostolatus fructibus. Quamobrem venerabiles Fratres Nostri S. Congregationi de Propaganda Fide praepositi, audito favorabili voto venerabilis Fratris Davidis Mathew, Archiepiscopi titularis Apameni in Bithynia et Africae Orientalis et Occidentalis Britannicae Delegati Apostolici, in plenariis comitiis die decima huius mensis habitis, re mature perpensa et facultate utentes sibi a Nobis per totum hunc iubilarem annum concessa, territorium provinciam civilem complectens, cui nomen *Adamawa* (addita quoque illa territorii sub tutela portione, quae in parte meridionali-occidentali tanquam provincia civilis de *Benue* administratur), in praesens divisum inter Praefecturas Apostolicas Josénsem et Oturkpoënsem atque dioecesim Bueaënsem, ab istis Praefecturis et dioecesi una cum orientali portione provinciae de *Bornu,* quae in *Cameroon* ab Anglia tanquam territorium sub tutela administratur nomine *Dikwa,* seiunxerunt et in novam Praefecturam erexerunt, cui nomen erit *Yolaënsem* eamque Eremitarum S. Augustini, quem supra memoravimus, Ordinis curis, ad Apostolicae Sedis beneplacitum, concrediderunt. Quam S. Congregationis de Propaganda Fide sententiam Nos ratam habentes, harum Litterarum vi suprema auctoritate Nostra confirmamus ideoque Praefecturam Apostolicam Yolaënsem, uti supra erectam et constitutam, declaramus et decernimus. Novae itaque huic Praefecturae Apostolicae eiusque pro tempore

Praefectis Apostolicis omnia tribuimus iura, privilegia, honores et potestates, quibus ceterae per orbem Praefecturae Apostolicae earumque Praesules iure communi fruuntur et gaudent, eosque iisdem adstringimus oneribus et obligationibus, quibus ceteri obstringuntur. Quae omnia, uti supra disposita et constituta, rata ac valida esse volumus et iubemus, contrariis quibuslibet minime obstantibus. Harum vero Litterarum transumptis, etiam impressis, manu tamen alicuius notarii publici subscriptis sigilloque viri in ecclesiastica dignitate vel officio constituti munitis, eamdem prorsus volumus haberi fidem, quae hisce praesentibus haberetur ostensis. Nemini autem hanc paginam dismembrationis, erectionis, constitutionis, commissionis, confirmationis, concessionis et voluntatis Nostrae infringere vel ei contraire liceat. Si quis vero id ausu temerario attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Apostolorum Petri et Pauli se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Petrum, anno Domini millesimo nongentesimo quinquagesimo, die quarta decima Iulii mensis, Pontificatus Nostri anno duodecimo.

Pro S. R. E. Cancellario

F. Card. MARCHETTI SELVAGGIANI
*S. Collegii Decanus.*

P. Card. FUMASONI BIONDI
*S. C. de Propaganda Fide Praefectus.*

Ludovicus Kaas, *Proton. Apost.*
Arthurus Mazzoni, *Proton. Apost.*

Loco ✠ Plumbi

*Reg. in Canc. Ap., vol. LXXIX, n. 87.* – Al. Trussardi.

## V

## DE PILCOMAYO

PRAEFECTURA APOSTOLICA DE PILCOMAYO IN VICARIATUM APOSTOLICUM EIUSDEM NOMINIS EVEHITUR.

PIUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Si per Evangelii Praeconum apostolicas curas aliqua inter infideles gentes Missio in catholico propagando nomine uberes susceperit fructus, digna sane videtur, quae ad potioris dignitatis gradum evehatur. Quod quidem perpendentes venerabiles Fratres Nostri S. R. E. Cardinales Sacro Consilio Christiano Nomini Propagando praepositi, cum laeto

animo acceperint in Praefectura Apostolica de Pilcomayo, in Republica Paraguayana, rem catholicam non exiguum, Deo adiuvante, per sedulas Congregationis Oblatorum B. Mariae Virginis Immaculatae sodalium curas, quibus illa concredita est, tulisse profectum, praehabito Nuntiaturae Apostolicae in Republica Paraguayana favorabili voto, in plenariis comitiis die decima huius mensis habitis, re mature perpensa, facultatibus utentes, sibi a Nobis per totum hunc iubilarem annum concessis, Praefecturam illam Apostolicam de Pilcomayo, iisdem servatis nomine et finibus, in Vicariatum Apostolicum evexerunt et constituerunt, et eorumdem sodalium Congregationis Oblatorum B. Mariae Virginis Immaculatae sollertibus curis concrediderunt, ad Nostrum tamen et Sedis Apostolicae beneplacitum. Quam Sacrae Congregationis de Propaganda Fide sententiam Nos ratam habentes, harum Litterarum vi suprema auctoritate Nostra confirmamus ideoque Vicariatum Apostolicum de Pilcomayo uti supra erectum et constitutum declaramus et decernimus. Novo igitur huic Vicariatui eiusque pro tempore Vicariis Apostolicis omnia tribuimus iura, privilegia, honores et potestates, quibus ceteri per orbem Vicariatus eorumque Praesules iure communi fruuntur et gaudent eosque iisdem adstringimus oneribus et obligationibus, quibus ceteri adstringuntur. Quae omnia uti supra disposita et constituta, rata ac valida esse volumus et iubemus, contrariis quibuslibet minime obstantibus. Harum vero Litterarum transumptis aut excerptis, manu tamen alicuius notarii publici subscriptis et sigillo viri in ecclesiastica dignitate vel officio constituti munitis, eamdem prorsus volumus haberi fidem, quae hisce praesentibus haberetur ostensis. Nemini autem hanc paginam evectionis, erectionis, constitutionis, commissionis, confirmationis, concessionis et voluntatis Nostrae infringere vel ei contraire liceat. Si quis vero ausu temerario id attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Apostolorum Petri et Pauli se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Petrum, anno Domini millesimo nongentesimo quinquagesimo, die quarta decima Iulii mensis, Pontificatus Nostri anno duodecimo.

Pro S. R. E. Cancellario

F. Card. MARCHETTI SELVAGGIANI
*S. Collegii Decanus*

P. Card. FUMASONI BIONDI
*S. C. de Propaganda Fide Praefectus*

Ludovicus Kaas, *Proton. Apost.*
Arthurus Mazzoni, *Proton. Apost.*

Loco ✠ Plumbi

*Reg. in Canc. Ap., vol. LXXIX, n. 82.* – Al. Trussardi.

# LITTERAE APOSTOLICAE

## I

AD DIGNITATEM ET HONOREM BASILICAE MINORIS EVEHITUR PAROECIALIS ECCLESIA B. MARIAE VIRGINIS PERDOLENTIS, VULGO « NOSSA SENHORA DA PENHA » NUNCUPATA, IN CIVITATE « PERNAMBUCO » OLINDENSIS ET RECIFENSIS ARCHIDIOECESIS.

PIUS PP. XII

Ad perpetuam rei memoriam. — Traditum a Romanis Pontificibus Decessoribus Nostris morem servantes, Templa Dei, quae, magno pietatis studio circumfusa, amplitudine non minus quam artis operibus ditata, singulari Christifidelium frequentia celebrantur, praeclaris titulis ac privilegiis ad bonum hominum spirituale et Caelitum honorem, quantum in Nobis est, exornare consuevimus. Haec inter merito recensendum est Templum paroeciale, quod anteacto saeculo in civitate Recifensi intra fines Archidioeceseos Olindensis et Recifensis, in Brasilia, aedificatum et sodalibus Ordinis Fratrum Minorum Capuccinorum concreditum, exstat, Beatae Mariae Perdolenti sacrum, idemque titulo « Nossa Senhora da Penha » vulgo nuncupatum. Consecratio eiusdem Ecclesiae, anno MDCCCLXXXII, rite peracta fuit. Quae quidem, tum amplitudine et altitudine, tum imminente tholo binisque sacris turribus, tum denique stylo « classico » columnisque « Corinthiis » artisque operibus quibus renidet, prae ceteris fulget omnesque permagna afficit admiratione. Christifidelium pietatem et ipsum Virginis Perdolentis Simulacrum et quindecim polychromis marmoribus affabre confecta Altaria et insuper impensa sollersque Fratrum Capuccinorum cura fovent atque alunt. Quibus omnibus permotus, dilectus filius Moderator Custodiae Provincialis Ordinis Fratrum Minorum Capuccinorum de « Pernambuco » in Brasilia enixas ad Nos preces admovit, ut memoratam Ecclesiam Beatae Mariae Virgini Perdolenti dicatam, titulo ac dignitate Basilicae Minoris honestare dignaremur. Nos autem, omnibus mature perpensis attentisque multis de eadem Ecclesia laudibus amplissimaque Venerabilis Fratris Michaëlis de Lima Valverde, Olindensis et Recifensis Archiepiscopi, commendatione, huiusmodi vota excipienda perlibenter statuimus. Audito igitur Venerabili Fratre Nostro Clemente Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinali Micara, Episcopo Veliterno atque Sacrae Rituum Congregationis Praefecto, certa scientia ac matura deliberatione Nostra, deque Apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, praesen-

tium Litterarum vi perpetuumque in modum, Ecclesiam Paroecialem Beatae Mariae Virginis Perdolentis, vulgo « Nossa Senhora de Penha » nuncupatam, in civitate « Pernambuco » intra Olindensis et Recifensis Archidioeceseos fines positam, titulo ac dignitate *Basilicae Minoris* decoramus, cum omnibus privilegiis atque iuribus, quae Ecclesiis hoc titulo honestatis rite competunt. Contrariis quibuslibet nihil obstantibus. Haec edicimus, statuimus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces iugiter exstare ac permanere; suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere; illisque ad quos spectant seu spectare poterunt nunc et in posterum plenissime suffragari; sicque rite iudicandum esse ac definiendum; irritumque ex nunc et inane fieri, si quidquam secus, super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter attentari contigerit.

Datum ex Arce Gandulphi, sub anulo Piscatoris, die XXVIII mensis Octobris, anno MCMXLIX, Pontificatus Nostri undecimo.

De speciali mandato Sanctissimi
Pro Domino Cardinali a publicis Ecclesiae negotiis

GILDO BRUGNOLA
*Officium Regens*
*Pontificiis Diplomatibus expediendis.*

## II

BASILICAE MINORIS TITULO AC DIGNITATE AFFICITUR PAROECIALIS ECCLESIA PRUMIENSIS, INTRA FINES TREVIRENSIS DIOECESEOS, DIVINO SALVATORI DICATA.

PIUS PP. XII

Ad perpetuam rei memoriam. — Veterum monasteriorum laudes, quae non solum religionis praesidia fuerunt virtutumque seminaria, sed etiam bonarum artium quaedam spectacula, pervulgatae sunt in omnes. In his Abbatia Prumiensis, Trevirensis dioeceseos singulare ornamentum, haud perperam numeratur, quippe quae, anno DCCXXI a Bertrada, nobili e Francorum genere femina, condita et a Pipino rege, eius nepote, munificentissime locupletata, nomen consecuta sit amplissimum. Quin ferunt Leonem PP. III, Decessorem Nostrum, Carolo Magno, Imperatore, flagitante, Ecclesiam continentem, Divino Salvatori sacram et propter eximium cultum « auream » appellatam, anno DCCXCIX dedicasse. Quot viri, pietate ac doctrina praestantes nominisque Christiani prove-

hendi studiosi, ibidem floruerint, ex annalium eruitur vetustate. Aetatis autem iniuria dilapsum, Templum hoc anno MDCCXXI magnifice est restitutum ac perornatum atque ita productum, ut inter totius dioeceseos loca sacra post Ecclesiam Cathedralem primas illud obtineat. Tamen proximo bello, quod per totum fere orbem luctuose flagravit, Prumiensis Aedes plumbo et igne petita est atque disiecta neque oppidanis suppetebant copiae, ut eam semirutam in pristinum redintegrarent splendorem. Sed mira quadam universae dioeceseos Christifidelium atque magistratuum conspiratione, vel in tanta iniquitate temporum, pecunia tandem corrogata est, ut Ecclesia sarta tecta divinis ritibus iterum claresceret. Cum igitur tanta sit huiusce Templi antiquitas et religio atque ob accedentem populum deprecabundum celebritas, utque tot malis pressi incolae allevarentur et ad Dei cultum impensius persequendum exacuerentur, Venerabilis Fratrer Franciscus Rudolphus Bornewasser, Trevirensis Episcopus, enixe Nos rogavit, ut Ecclesiam illam Basilicis Minoribus accensere dignaremur. Nos autem, invictam pietatem eius regionis fidelium probantes volentesque ad cumulanda merita in Christianae vitae exercitatione eosdem commovere, vota huiusmodi libenti animo statuimus explere. Quapropter, e Sacrae Rituum Congregationis consulto, certa scientia ac matura deliberatione Nostra deque Apostolicae potestatis plenitudine, harum Litterarum vi perpetuumque in modum, paroecialem Ecclesiam Prumiensem, Divino Salvatori dicatam et infra fines Trevirensis dioeceseos exstantem, titulo ac dignitate *Basilicae Minoris* afficimus ac decoramus, omnibus adiectis iuribus ac privilegiis, quae Templis, hoc honore insignibus, rite competunt. Contrariis quibuslibet minime obstantibus. Haec edicimus, statuimus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces iugiter exstare ac permanere; suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere; illisque ad quos spectant, seu spectare poterunt, nunc et in posterum plenissime suffragari; sicque rite iudicandum esse ac definiendum: irritumque ex nunc et inane fieri, si quidquam secus, super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter contigerit attentari.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die X mensis Iunii, anno MCML, Pontificatus Nostri duodecimo.

De speciali mandato Sanctissimi
Pro Domino Cardinali a publicis Ecclesiae negotiis

GILDO BRUGNOLA
*Officium regens*
*Pontificiis Diplomatibus expediendis.*

## III

CATHEDRALIS ECCLESIA HALIFAXIENSIS, IN CANADENSI DICIONE, BASILICAE MINORIS TITULO HONORIBUSQUE AUGETUR.

PIUS PP. XII

Ad perpetuam rei memoriam. — Quas moles et pulchritudo populique religio praecipue commendant, eas Sacras Aedes Romani Pontifices e pristina consuetudine honoribus ac titulis solent adaugere. Atque exstat in Canadensi Dicione haud ignobile Templum Cathedrale Halifaxiense, quod anno MDCCCXXIX « Gothico » structurae genere aedificatum, in eiusdem regionis Ecclesiis primoribus numeratur. Copia administrorum ac vestimentorum sacrorum affluentia huiusce domus Dei decori ita consultum est ut nihil desiderari videatur. Non ibi residit ardor pietatis, non exolescit cultus sollemnis nitor, non effluit divinorum rituum ornatissima frequentia. Quarum rerum ut vel alacrior fieret diligentia et in Almam Deiparam, cui Templum dicatum est, observantia evaderet impensior in dies, Venerabilis Frater Ioannes Thomas Mc Nally, Archiepiscopus Halifaxiensis, nomine quoque cleri ac populi, in suam fidem traditi, enixe Nos rogavit, ut eam ipsam Ecclesiam Basilicis Minoribus accensere dignaremur. Nos autem, eius praeconia agnoscentes cupientesque caelestium munerum largitionem geminare, haec vota libenti animo censuimus explenda. Quapropter, e Sacrae Rituum Congregationis consulto, omnibus attente perpensis, certa scientia ac matura deliberatione Nostra deque Apostolicae potestatis plenitudine, harum Litterarum vi perpetuumque in modum, Ecclesiam Cathedralem Halifaxiensem, in Canadensi Dicione, ad dignitatem et honorem *Basilicae Minoris* evehimus, additis omnibus iuribus ac privilegiis, quae eidem titulo rite competunt. Contrariis quibusvis nihil obstantibus. Haec edicimus, statuimus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces iugiter exstare ac permanere; suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere; illisque ad quos spectant seu spectare poterunt, nunc et in posterum, plenissime suffragari; sicque rite iudicandum esse ac definiendum; irritumque

ex nunc et inane fieri, si quidquam secus, super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter attentari contigerit.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XIV mensis Iunii, anno MCML, Pontificatus Nostri duodecimo.

De speciali mandato Sanctissimi
Pro Domino Cardinali a publicis Ecclesiae negotiis

GILDO BRUGNOLA
*Officium regens*
*Pontificiis Diplomatibus expediendis.*

## IV

BASILICAE MINORIS HONORIBUS DECORATUR PAROECIALE TEMPLUM S. NICOLAI MYRENSIS, IN OPPIDO « SAINT-NICOLAS-DE-PORT » INTRA NANCEIENSIS DIOECESIS FINES.

### PIUS PP. XII

Ad perpetuam rei memoriam. — Mira religionis ac pietatis testimonia celeberrima illa Templa sunt, quibus Gallia abundat, quaeque, siderum instar, per saecula fulserunt atque humanitatis et supernae spei luce longe lateque populos illustraverunt. Quorum in numero Ecclesia paroecialis, Deo in honorem Sancti Nicolai Myrensis Episcopi dicata et in oppido « Saint-Nicolas-de-Port », intra Nanceiensis dioeceseos fines, exsistens, iure meritoque recensenda videtur. Multas enim, prout Nobis allatum est, in ipsa Gallia amplitudine et pulchritudine nec non antiquitate aequat Ecclesias; multasque superat. Exeunte XV, ineunte autem XVI saeculo exaedificata, stylo « Gothico » ita pollet tantoque eminet architecturae impetu, ut omnium in admiratione sit et oppidi totiusque dioecesis existimetur gloria. Quod si, calamitatibus, incendiis, bellis, populorum perturbationibus eandem Ecclesiam frustra oppugnantibus, ipsa foris geminis sacris turribus caelum petit tribusque ornatissimis renidet valvis, haud minus tribus altissimis alis splendida intus apparet. Propria tamen ac vera ipsius laus est pietatem, cum illustrium virorum tum humilium, fovere quam maxime et alere. Etenim Galliae Reges Ducesque Lotharingiae, e quibus Ioannes ille Cardinalis ipsam, anno MDXXXXV, sollemniter consecravit, statutis temporibus eam invisere consueverunt; eamque adierunt nonnulli, quorum tempore primus Franciscus Xaverius, Dei Famuli, qui postea inter Beatos Caelites adnumerati sunt. Innumeri denique Christifideles, gratias pro re-

ceptis beneficiis acturi nec non ad nova recipienda impetraturi, peregrinantium more ad ipsum paroeciale Templum se conferunt studioseque Sanctum Nicolaum Myrensem colunt. Qua populi sui impensa pietate Templique permotus magnitudine, illustris ille ac desideratissimus Carolus Lavigerie, tunc Nanceiensis Episcopus, postea Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalis, a Decessore Nostro, fel. rec., Pio Pp. IX postulavit et obtinuit ut Ecclesia ipsa peculiaribus honestaretur privilegiis. Haec omnia prae oculis habens, dilectus filius Carolus Beaucourt, Sacerdos et oppidi « Saint-Nicolas-de-Port » sollers Curio, Venerabili Fratre Marco Lallier, Episcopo Nanceiensi, amplissime approbante, enixas humilesque Nobis adhibuit preces ut suam Ecclesiam paroecialem titulo ac dignitate Basilicae Minoris benigne decorare dignaremur. Nos autem, memoratae Ecclesiae antiquitatem et pulchritudinem nec non flagrantem in eam populi religionem considerantes, attentaque etiam eiusdem Ordinarii amplissima commendatione, huiusmodi precibus annuendum libenti censuimus animo. Qua propter, ex Sacrae Rituum Congregationis consulto, certa scientia ac matura deliberatione Nostra deque Apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, praesentium Litterarum vi perpetuumque in modum, Ecclesiam praoecialem Sancti Nicolai Myrensis, in oppido « Saint-Nicolas-de-Port » vulgo nuncupato, intra Nanceiensis dioeceseos fines, exsistentem, ad dignitatem et honorem *Basilicae Minoris* evehimus, cum omnibus privilegiis quae eidem titulo rite conveniunt. Contrariis quibuslibet minime obstantibus. Haec edicimus, statuimus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces iugiter exstare ac permanere; suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere; illisque ad quos spectant seu spectare poterunt, nunc et in posterum, plenissime suffragari; sicque rite iudicandum esse ac definiendum; irritumque ex nunc et inane fieri, si quidquam secus super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter attentari contigerit.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XXV mensis Iunii, anno MCMI, Pontificatus Nostri duodecimo.

De speciali mandato Sanctissimi
Pro Domino Cardinali a publicis Ecclesiae negotiis

GILDO BRUGNOLA
*Officium Regens*
*Pontificiis Diplomatibus expediendis.*

## V

BEATA MARIA VIRGO « A MIRACULIS », IN AEDE LOCI « CASALBORDINO » VENERATA, TOTIUS VASTENSIS DIOECESIS PATRONA CAELESTIS DECLARATUR.

### PIUS PP. XII

Ad perpetuam rei memoriam. — Imaginem Beatae Mariae Virginis, antiquitate et religione insignem, a quattuor fere saeculis in Ecclesia apud oppidulum, quod « Casalbordino » vernaculo sermone audit atque intra fines Vastensis dioeceseos est positum, haud intermisso populi studio et concursu excoli intelleximus atque observari. Almam Deiparam munera caelestia interdum et prodigiose Christifidelibus precabundis ibi impertire non setius cognovimus, unde nomen « a Miraculis » haud perperam inditum est signo illi sacratissimo. Ita et cultus tam praeclarae gratiarum Sequestrae auctus est in dies, maxime cum, belli novissimi deflagratione restincta, eadem imago, peregrinantium more vecta, oppida et urbes dioeceseos Vastensis lustraret. Qua fausta in celebratione vix dici potest quot fructus spirituales capti sint, quam late religio Beatae Mariae « a Miraculis » sit propagata, quam alte insederit in animis Christifidelium. Quae omnia ut confirmarentur et maiora sumerent incrementa, Venerabilis Frater Ioannes Baptista Bosio, Archiepiscopus Theatinus et Administrator Apostolicus Vastensis dioeceseos, vota quoque excipiens Collegii Canonicorum, has preces Nobis adhibuit ut Beatissimam Virginem « a Miraculis » totius Vastensis dioeceseos Caelestem apud Deum Patronam eligere ac renuntiare dignaremur. Nos autem, id percupientes ut filii Nostri, ubicumque in caliginosi huius saeculi discrimine versantes, in Almae Dei Genetricis misericordiam alacriores crebrioresque confugiant, supplicationibus huiusmodi libenter statuimus obsecundare. Quapropter, e Sacrae Rituum Congregationis consulto, omnibus rei momentis attente perpensis, certa scientia ac matura deliberatione Nostra deque Apostolicae potestatis plenitudine, harum Litterarum vi perpetuumque in modum Beatissimam Virginem Mariam « a Miraculis » totius dioeceseos Vastensis Caelestem apud Deum *Patronam* constituimus et declaramus, omnibus adiectis honoribus ac privilegiis liturgicis, quae praecipuis regionum Patronis rite competunt, additaque facultate adhibendi pro die festo celebrando Officium et Missam Beatae Mariae Virginis Omnium Gratiarum Mediatricis cum Evangelio sumpto ex Ioan. II, 1-11 : « Nuptiae factae sunt... ». Contrariis quibusvis nihil obstantibus. Haec edicimus, statuimus, decernentes praesentes

Litteras firmas, validas atque efficaces iugiter exstare ac permanere; suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere; illisque ad quos spectant, seu spectare poterunt, nunc et in posterum plenissime suffragari; sicque rite iudicandum esse ac definiendum; irritumque ex nunc et inane fieri, quidquam secus, super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter contigerit attentari.

Datum ex Arce Gandulphi, sub anulo Piscatoris, die XXXI mensis Iulii, anno MCML, Pontificatus Nostri duodecimo.

De speciali mandato Sanctissimi
Pro Domino Cardinali a publicis Ecclesiae negotiis

GILDO BRUGNOLA
*Officium regens*
*Pontificiis Diplomatibus expediendis.*

## ALLOCUTIO

*Ad Parochos Urbis et Concionatores sacri temporis quadragesimalis* *

Ancora sotto il peso della dolorosa commozione per la repentina perdita del Nostro desideratissimo Cardinale Francesco Marchetti Selvaggiani, che durante venti anni — e quali anni! e quanto difficili! — consacrò tutto se stesso al bene della Nostra diocesi di Roma, e che giunto, nella piena freschezza del suo vivacissimo spirito, alla sera della sua lunga e laboriosa giornata terrena, chinò tranquillo il capo, pronto a seguire la voce del Maestro che lo chiamava alla eterna luce, — Noi proviamo un senso di grato conforto nel vedervi oggi riuniti intorno a Noi, sotto la guida del nuovo Nostro Vicario Generale, il Cardinale Clemente Micara, a Noi e a voi carissimo, che con zelo e con amore vi condurrà e vi sosterrà nell'esercizio del vostro santo ed arduo ministero.

* * *

Se questo incontro, diletti figli, non significasse, con l'imminenza del tempo quaresimale e pasquale, il principio per voi di un'accresciuta attività pastorale, l'augurio del Nostro cuore, la Nostra paterna esortazione risonerebbero come un eco dell'invito di Gesù agli Apostoli: *Requiescite pusillum*: [1] Riposatevi un poco; concedetevi il tempo ne-

* Habita die 6 Februarii mensis a. 1951.

Huius vigiliae celebratio horis peragebatur nocturnis, quae Domini praecedunt Resurrectionem. Temporum vero decursu variisque de causis, eadem celebratio ad horas primum vespertinas, dein postmeridianas, denique ad matutinas sabbati sancti horas anteposita est, diversis simul inductis mutationibus, non sine originalis symbolismi detrimento.

Nostra autem aetate, succrescentibus de antiqua liturgia investigationibus, vivum obortum est desiderium, ut paschalis praesertim vigilia ad primitivum splendorem revocaretur, originali eiusdem vigiliae instaurata sede, ad horas videlicet nocturnas, quae dominicam Resurrectionis antecedunt. Ad huiusmodi instaurationem suadendam, peculiaris quoque accedit ratio pastoralis, de fidelium scilicet concursu fovendo; etenim cum sabbati sancti dies, non amplius, ut olim, festivus habeatur, quamplurimi fideles horis matutinis sacro ritui interesse nequeunt.

His itaque suffulti rationibus, multi locorum Ordinarii, fidelium coetus religiosique viri, supplices ad Sanctam Sedem detulerunt preces, ut ipsa restitutionem antiquae vigiliae paschalis ad horas nocturnas inter sabbatum sanctum et dominicam Resurrectionis indulgere vellet.

Summus autem Pontifex Pius Papa XII, has preces benigne excipiens, pro Sua in re tanti momenti cura et sollicitudine, quaestionem hanc peculiari demandavit virorum in re peritorum Commissioni, qui totam rem diligenti studio et examini subicerent.

Referente denique infrascripto S. Rituum Congregationis Cardinali Pro-Praefecto, Sanctitas Sua Rubricas quae sequuntur, approbare dignata est, pro nocturna vigiliae paschalis celebratione, facultative pro hoc anno de locorum Ordinariorum prudenti iudicio instauranda, et ad experimentum. Rogantur propterea iidem locorum Ordinarii, qui hac facultate usi fuerint, ut de fidelium concursu et pietate, deque successu instauratae vigiliae paschalis S. Rituum Congregationem certiorem facere velint. Vetatur insuper omnibus librorum editoribus ne hunc ritum imprimant, sine Sacrorum Rituum Congregationis expressa licentia.

Contrariis quibuslibet non obstantibus.

Die 9 Februarii 1951.

✠ C. Card. Micara, Ep. Veliternus, *Pro-Praefectus*

L. ✠ S.

† A. Carinci, Archiep. Seleuc. *Secretarius*

# RUBRICAE SABBATO SANCTO SERVANDAE SI VIGILIA PASCHALIS INSTAURATA PERAGATUR

## TITULUS I
## DE OFFICIO DIVINO

1. MATUTINUM et LAUDES *in choro non anticipantur de sero, sed dicuntur mane, hora competenti, ut in Breviario romano, praeter sequentia:*

*In Laudibus, post antiphonam* Christus factus est, *omisso psalmo 50,* Miserére, *statim subiungitur oratio:*

Concéde, quǽsumus, omnípotens Deus : ut qui Fílii tui resurrectiónem devóta exspectatióne prævenímus ; eiusdem resurrectiónis glóriam consequámur. *Et sub silentio concluditur:* Per eúndem Dóminum.

2. HORAE MINORES *dicuntur, hora competenti, ut Feria V in Coena Domini, sed, finitis psalmis, post ant.* Christus factus est, *omisso psalmo 50,* Miserére, *statim subiungitur oratio, ut supra in Laudibus.*

3. VESPERAE *dicuntur post meridiem, hora competenti, ut in Breviario Feria V in Coena Domini, exceptis iis quae sequuntur: Antiphona 1:* Hódie afflíctus sum valde, sed cras solvam víncula mea.

*Antiphona ad Magnificat:* Príncipes sacerdótum et pharisǽi muniérunt sepúlcrum, signántes lápidem, cum custódibus.

*Repetita antiphona ad Magnificat, et omissis ant.* Christus factus est *et psalmo 50,* Miserére, *dicitur oratio ut supra in Laudibus. Et sic terminantur Vesperae.*

4. COMPLETORIUM *dicitur, hora competenti, ut Feria V in Coena Domini, praeter sequentia:*

*Omissis antiphona* Christus factus est *et psalmo 50,* Miserére, *dicitur oratio consueta* Vísita, quǽsumus, Dómine, *quae sub silentio concluditur* Per Dóminum.

*Et sic terminatur Completorium.*

## TITULUS II
## DE VIGILIA PASCHALI

### Caput I
### De benedictione novi ignis

1. *Hora competenti, ea scilicet quae permittat incipere missam solemnem vigiliae paschalis circa mediam noctem, tobaleis cooperiuntur altaria, sed candelae exstinctae manent usque ad principium missae. Interim excutitur ignis de lapide extra ecclesiam, et ex eo accenduntur carbones.*

2. *Sacerdos induitur amictu, alba, cingulo, stola, et pluviali violaceo, vel manet sine casula.*

3. *Adstantibus ministris cum cruce, aqua benedicta et incenso, sive ante portam, sive in aditu ecclesiae, vel intus eam, ubi scilicet populus ritum sacrum melius sequi possit, sacerdos benedicit novum ignem, dicens* Dóminus vobíscum, *et primam ex tribus orationibus, quae in missali reperiuntur. Deinde, ignem ter aspergit nihil dicens.*

4. *Acolythus, assumens de carbonibus benedictis, ponit in thuribulo; sacerdos vero de navicula ponit incensum in thuribulo, benedicens illud more solito, ignemque ter adolet incenso.*

### Caput II
### De benedictione cerei paschalis

5. *Novo igne benedicto, acolythus portat cereum paschalem in medium, ante sacerdotem, qui cum stylo, inter extrema puncta ad insertionem granorum incensi parata incidit crucem. Deinde facit super eam litteram graecam Alpha, subtus vero litteram Omega, et inter brachia crucis quattuor numeros exprimentes annum currentem, interim dicens:*

1) Christus heri et hódie (*incidit hastam erectam*),
2) Princípium et Finis (*incidit hastam transversalem*),
3) Alpha (*incidit supra hastam erectam litteram A*),
4) et Omega (*incidit subtus hastam erectam litteram* Ω).

5) Ipsíus sunt témpora (*incidit primum numerum anni currentis in angulo sinistro superiore crucis*)

6) et sæcula (*incidit secundum numerum anni currentis in angulo dextro superiore crucis*).

7) Ipsi glória et impérium (*incidit tertium numerum anni currentis in angulo sinistro inferiore crucis*)

8) per univérsa æternitátis sæcula. Amen (*incidit quartum numerum anni currentis in angulo dextro inferiore crucis*).




6. *Incisione crucis et aliorum signorum peracta, diaconus praebet sacerdoti grana incensi, quae, si non sunt benedicta, celebrans ter aspergit et ter adolet incenso, nihil dicens. Deinde infigit quinque grana in loca ad hoc praeparata, interim dicens:*

1) Per sua sancta vúlnera
2) gloriósa
3) custódiat
4) et consérvet nos
5) Christus Dóminus. Amen.

1
4 2 5
3

7. *Tum diaconus porrigit sacerdoti parvam candelam, de novo igne accensam, cum qua cereum accendit, dicens:*

Lumen Christi glorióse resurgéntis
Díssipet ténebras cordis et mentis.

8. *Mox sacerdos benedicit cereum accensum, dicens:*

Dóminus vobíscum.

Orémus. Véniat, quæsumus, omnípotens Deus, super hunc incénsum céreum larga tuæ bene✠dictiónis infúsio: et hunc noctúrnum splendórem invisíbilis regenerátor accénde: ut non solum sacrifícium, quod hac nocte litátum est, arcána lúminis tui admixtióne refúlgeat; sed in quocúmque loco ex huius sanctificatiónis mystério áliquid fúerit deportá-

tum, expúlsa diabólicæ fraudis nequítia, virtus tuæ maiestátis assístat. Per Christum Dóminum nostrum. Amen.

9. *Interim omnia luminaria ecclesiae exstinguuntur, ut de igne benedicto postmodum accendantur.*

## Caput III

### De solemni processione et de praeconio paschali

10. *Tum diaconus, indutus dalmatica albi coloris, accipit cereum paschalem accensum, et ordinatur processio: praecedit thuriferarius, sequitur subdiaconus cum cruce, diaconus cum cereo accenso, post eum statim celebrans, deinde clerus per ordinem et populus.*

11. *Cum diaconus ingressus est ecclesiam, elevans cereum benedictum, stans erectus, cantat solus:* Lumen Christi, *cui omnes alii, genuflectentes versus cereum benedictum, respondent:* Deo grátias. *Sacerdos vero de cereo benedicto propriam candelam accendit.*

*Procedens ad medium ecclesiae, ibi eodem modo diaconus altius cantat:* Lumen Christi, *cui omnes, ut supra, genuflectentes, respondent:* Deo grátias. *Et de cereo benedicto accenduntur candelae cleri.*

*Tertio procedens ante altare, in medio chori, rursum adhuc altius cantat:* Lumen Christi, *cui tertio omnes, ut supra, genuflectentes, respondent:* Deo grátias. *Et accenduntur ex cereo benedicto candelae populi, et luminaria ecclesiae.*

12. *Tunc sacerdos vadit ad locum suum in choro, in cornu epistolae; subdiaconus cum cruce stat a latere evangelii; clerus locum suum occupat in scamnis.*

*Diaconus deponit cereum paschalem in medio chori, supra parvum sustentaculum, et, accipiens librum, petit a celebrante benedictionem, ut in missali.*

*Postea vadit ad legile, strato albo coopertum, et ponit super eo librum, et incensat; deinde, circumiens cereum paschalem, etiam illum itérato thurificat.*

*Tunc surgentibus omnibus, et stantibus, ut fit ad evangelium, diaconus cantat praeconium paschale.*

13. *Praeconium paschale canitur ut in missali, sed textui de Imperatore Romano substituitur sequens:* Réspice étiam ad eos, qui nos in po-

testáte regunt, et ineffábili pietátis et misericórdiæ tuæ múnere, dírige cogitatiónes eorum ad iustítiam et pacem, ut de terréna operositáte ad cæléstem pátriam pervéniant cum omni pópulo tuo. Per eúndem.

## Caput IV

### De lectionibus

14. *Post praeconium paschale, diaconus, depositis albis, sumit violacea paramenta, et vadit ad celebrantem.*

15. *Postea leguntur lectiones, sine titulo, nec in earum fine respondetur* Deo grátias. *Leguntur vero a lectore, in medio chori, ante cereum benedictum. Celebrans et ministri, clerus et populus, sedentes auscultant.*

16. *In fine lectionis, vel post canticum, dicuntur orationes, hoc modo: omnes surgunt, sacerdos dicit* Orémus, *diaconus* Flectámus génua, *et omnes, flexis genibus, per aliquod temporis spatium in silentio orant; dicto a subdiacono* Leváte, *omnes surgunt, et sacerdos dicit orationem.*

17. *Ex duodecim lectionibus, in missali romano propositis, leguntur prima cum sua oratione, quarta, octava et undecima cum suis canticis et orationibus.*

## Caput V

### De prima parte litaniarum

18. *Expletis lectionibus, a duobus cantoribus cantantur litaniae sanctorum, ut in missali, usque ad invocationem* Propítius esto, *omnibus genuflectentibus et respondentibus, quin tamen duplicentur.*

19. *Si ecclesia habet fontem baptismalem, ritus prosequitur ut infra Cap. VI; secus vero ut infra Cap. VII.*

## Caput VI

### De benedictione aquae baptismalis

20. *Dum cantantur litaniae sanctorum in medio chori, ante cereum benedictum, in conspectu fidelium, praeparatur vas aquae baptismalis benedicendae, et cetera omnia quae ad benedictionem requiruntur.*

21. *Benedictio aquae baptismalis fit ut in Missali romano, omisso cantico* Sicut cervus, *cum sua oratione, incipiendo absolute cum* ℣. Dóminus vobíscum, *et oratione* Omnípotens sempitérne Deus, adésto.

22. *Sicubi vero baptisterium exstat ab ecclesia separatum, et antiqua consuetudo postulat, ut benedictio aquae baptismalis in ipso baptisterio peragatur, tunc sacerdos, praecedente cruce, cum candelabris, et cereo benedicto accenso, descendit cum clero et ministris paratis ad Fontem; et interim cantatur canticum* Sicut cervus *cum sua oratione.*

23. *Absoluta benedictione Fontis, clerus in silentio redit in ecclesiam, et inchoatur prima pars litaniarum.*

## Caput VII

### De renovatione promissionum baptismatis

24. *Completa benedictione aquae baptismalis, vel, ubi haec locum non habet, post absolutam primam partem litaniarum, proceditur ad renovationem promissionum baptismatis.*

25. *Imposito thure, et facta incensatione cerei, sacerdos stans ante illum, in medio chori, vel ex ambone seu pulpito, incipit, ut sequitur:*

Hac sacratíssima nocte, Fratres caríssimi, sancta Mater Ecclésia, récolens Dómini nostri Jesu Christi mortem et sepultúram, eum redamándo vígilat; et exspéctans eiúsdem gloriósam resurrectiónem, lætabúnda gaudet.

Quóniam vero, ut docet Apóstolus, consepúlti sumus cum Christo per baptísmum in mortem, quómodo Christus resurréxit a mórtuis, ita et nos in novitáte vitæ opórtet ambuláre; sciéntes, véterem hóminem nostrum simul cum Christo crucifíxum esse, ut ultra non serviámus peccáto. Existimémus ergo nos mórtuos quidem esse peccáto, vivéntes autem Deo, in Christo Jesu Dómino nostro.

Quaprópter, Fratres caríssimi, quadragesimáli exercitatióne absolúta, sancti baptísmatis promissiónes renovémus, quibus olim Sátanae et opéribus eius, sicut et mundo, qui inimícus est Dei, abrenuntiávimus, et Deo in sancta Ecclésia cathólica fidéliter servíre promísimus.

Itaque:

*Sacerdos:* Abrenuntiátis Sátanæ?
*Populus:* Abrenuntiámus.
*Sacerdos:* Et ómnibus opéribus eius?
*Populus:* Abrenuntiámus.

*Sacerdos:* Et ómnibus pompis eius?

*Populus:* Abrenuntiámus.

*Sacerdos:* Créditis in Deum, Patrem omnipoténtem, Creatórem cæli et terræ?

*Populus:* Crédimus.

*Sacerdos:* Créditis in Jesum Christum, Fílium eius únicum, Dóminum nostrum, natum et passum?

*Populus:* Crédimus.

*Sacerdos:* Créditis et in Spíritum Sanctum, sanctam Ecclésiam cathólicam, sanctórum communiónem, remissiónem peccatórum, carnis resurrectiónem, et vitam ætérnam?

*Populus:* Crédimus.

*Sacerdos:* Nunc autem una simul Deum precémur, sicut Dóminus noster Jesus Christus oráre nos dócuit:

*Populus:* Pater noster...

*Sacerdos:* Et Deus omnípotens, Pater Dómini nostri Jesu Christi, qui nos regenerávit ex aqua et Spíritu Sancto, quique nobis dedit remissiónem peccatórum, ipse nos custódiat grátia sua in eódem Christo Jesu Dómino nostro in vitam ætérnam.

*Populus:* Amen.

26. *Ubi vero in libro rituali rite approbato, ad conferendum sacramentum baptismatis, usus partialis linguae vernaculae permittitur, ibi textus recensiti sub n. 25, in eadem lingua vernacula recitari possunt.*

## Caput VIII

### De altera parte litaniarum

27. *Renovatione promissionum baptismatis peracta, cantores incipiunt alteram partem litaniarum, inde ab invocatione* Propítius esto, *usque ad finem, omnibus genuflectentibus et respondentibus.*

*Si vero in hac sacra vigilia paschali sacri Ordines conferantur, consueta ordinandorum prostratio et benedictio peragetur, dum haec altera pars litaniarum decantatur.*

28. *Sacerdos vero et ministri, accedentes ad sacristiam, induuntur paramentis albi coloris pro missa solemniter celebranda.*

29. *Interim cereus paschalis reponitur in candelabrum suum, in cornu evangelii, et altare paratur pro missa solemni, cum luminaribus accensis et floribus.*

## TITULUS III

## DE MISSA SOLEMNI VIGILIAE PASCHALIS

1. *Missa solemnis vigiliae paschalis celebratur ut in missali romano, exceptis his quae sequuntur. In fine litaniarum, cantores solemniter incipiunt* Kýrie eléison, *ut in missa moris est. Interim sacerdos cum ministris, in paramentis albis, accedit ad altare, et, omissis psalmo* Júdica me, Deus, *ac confessione, ascendens, osculatur illud in medio, et incensat more solito.*

2. *Finitis a choro* Kýrie eléison, *sacerdos incipit solemniter* Glória in excélsis, *et pulsantur campanae.*

3. *Post sumptionem sacramenti, chorus cantat et sacerdos legit, more solito, versum pro Communione, qui erit:* Véspere autem sábbati, quæ lucéscit in prima sábbati, venit María Magdaléne, et áltera María, vidére sepúlcrum, allelúja.

4. *Postea celebrans dicit, more solito,* Dóminus vobíscum, *et Postcommunionem, quae erit* Spíritum nobis, Dómine, *ut in missali.*

5. *Deinde sacerdos dicit* Dóminus vobíscum, *et diaconus, vertens se ad populum, cantat* Ite, missa est, allelúja, allelúja. *Celebrans vero, dicto* Pláceat tibi, sancta Trínitas, *dat benedictionem, more solito, et omisso ultimo evangelio, omnes revertuntur in sacristiam.*

6. *Sacerdos, celebraturus missam Dominicae Resurrectionis, in missa vigiliae paschalis, sumpto divino sanguine, non purificat neque abstergit calicem, sed eum ponit super corporale, et palla tegit; dein, iunctis manibus, dicit in medio altaris* Quod ore súmpsimus, *et subinde in vase cum aqua parato digitos abluit, dicens* Corpus tuum, Dómine, *et abstergit. Hisce peractis, calicem super corporale adhuc manentem, deducta palla, iterum disponit et cooperit, uti moris est, scilicet primum purificatorio linteo, deinde patena, cum hostia consecranda et palla, ac demum velo.*

7. *Ad offertorium missae Dominicae Resurrectionis deveniens, sacerdos, qui missam vigiliae paschalis celebraverat, ablato velo de calice, hunc parumper versus cornu epistolae collocat, sed non extra corporale; facta hostiae oblatione, non abstergit calicem purificatorio, sed eum leviter elevans, vinumque et aquam eidem caute infundit, ipsumque calicem, nullatenus ab intus abstersum, more solito offert.*

## II

# ROMANA

### BEATIFICATIONIS ET CANONIZATIONIS PII PAPAE X

### SUPER DUBIO

*An et de quibus miraculis constet in casu et ad effectum de quo agitur*

Mellifluus Doctor S. Victorem laudibus efferens: « Gaudete in Domino, scribit, qui inter continua suae pietatis beneficia indulsit hominem mundo, cuius multi salvarentur exemplo. Iterum, dico, gaudete, quod factus de medio appropiavit Deo, ut multo plures eius intercessione salventur... In terris visus est, ut esset exemplo: in caelum levatus est, ut sit patrocinio. Hic informat ad vitam; illic invitat ad gloriam: factus est mediator ad regnum, qui fuit incitator ad opus... Ascendit cum immensa supellectili meritorum, clarus triumphis, miraculis gloriosus » (Sermo 2. de S. Victore, Ed. Lugdun., 1530, f. 47, c. 2).

Quae verba mire Venerabili Pio X aptantur, hic enim cum immensa meritorum supellectili clarus triumphis, in caelum ascendit, modo miraculis gloriosus coruscat.

Et sane; in variis ecclesiasticae hierarchiae gradibus usque ad Summum Pontificatum, admiranda praebuit virtutum omnium exempla, quibus immensam meritorum supellectilem sibi comparavit, uti, Summo approbante Pontifice, per Sacrae huius Congregationis decretum, die 3 Septembris elapsi anni latum, recognitum est.

Ulterius Venerabilis Pius non modo est clarus triumphis, sed miraculis quoque gloriosus. Plures enim gratias, eodem intercedente, concedere, immo vera miracula operari dignatus est Deus, ex quibus causae actores duo huic Sacrae Congregationi exhibuerunt, quae severe perpensa et approbata, Summi Pontificis auctoritate per hoc decretum hodie promulgantur.

I. Soror Maria Francisca Deperras, in saeculo Maria Iulia Paulina, 69 annos nata, Septembri mense anni 1928 osteosarcomate sinistri femoris fuit attacta, cum metastasi ad respondentem iliacam regionem, uti duo medici a cura concorditer edixerunt, qui pariter sub fine Novembris, audito quoque consilio tertii chirurgi, impossibilem esse chirurgicam actionem dixerunt, mortemque intra paucas hebdomadas eventuram; ideoque, utpote inutilem, infirmae curam reliquerunt. Tum appo-

sita de reliquiis Ven. Pii X infirmae corpori particula, ferventes effusae fuerunt preces, eius intercessionem implorantes.

Die 7 Decembris eiusdem anni Soror perfecte sanata est, depulsis mali moris tumore, anchilosi ceterisque morbi adiunctis. Sanationis perseverantiam duo periti physici octo post annos confirmaverunt.

Medicum huius Congregationis Collegium plene cum medentibus convenit, atque cum his supra naturae vires sanationem agnoscit.

II. Nec minus evidenter miraculum renidet in sanatione Sororis Benedictae, in saeculo Constantiae De Maria. Haec Septembri mense anno 1936, quum in aetate esset trium annorum supra quadraginta, dolore cepit cruciari in sinistra abdominis parte, in qua tumor est inventus mali moris, qui eousque increvit, ut eius dimetiens linea decem centimetra attingeret. Chirurgico ferro subici noluit infirma, quae in peius ruebat adeo ut mors ineluctabilis esset proxime eventura.

Incassum cedentibus medicis subsidiis, Sorores ferventes preces per novem dies effundere, die 24 Februarii anno 1938, coeperunt pro aegrae sanatione, per Venerabilis Dei Servi Pii Papae X intercessionem, de cuius reliquiis particulam Benedicta saepe super dolentem partem apponebat. Nocte inter diem 26 et 27 eiusdem mensis, haec placido somno correpta est. Expergefacta sanatam perfecte se sensit. Ingens enim tumor evanuerat cum omnibus letalis morbi adiunctis. Soror e lecto surgit, in commune sacellum descendit, per tres horae quadrantes genuflexa permanet, profunde se inclinat, immo statim ostiariae munus resumit. In recuperata valetudine feliciter perseveravit, uti constat ex physicorum peritorum attestatione qui eam inspectioni subiecierunt Novembri mense anno 1945. Anno elapso, nova inspectio facta est ab medente, qui optimam valetudinem Sororis plene confirmat.

Periti ex officio nostrumque medicum Collegium cum medente unanimi sententia mali moris tumorem fuisse edicunt, in letalem quoque prognosim concedunt, atque supra naturae vires sanationem contigisse affirmant.

Super utraque sanatione Apostolica auctoritate in Curiis Episcopalibus, Sancti Claudii anno 1946 pro prima sanatione, Cuneensi a. 1945 pro altera, constructi sunt processus.

De utraque hac mira sanatione medicum S. R. C. Collegium die 21 Martii anno elapso disceptavit, dein Rmi Cardinales et Consultores die 24 Octobris, in Praeparatoria Congregatione; in Generali denique coram Ssmo D. N. Pio Papa XII, in qua subscriptus Cardinalis, Sacrae Rituum Congregationis Pro-Praefectus causaeque Ponens, die 30 Ianuarii anni huius, dubium proposuit: *An et de quibus miraculis constet*

*in casu et ad effectum de quo agitur.* Rmi Cardinales, Officiales Praelati Patresque Consultores suam quisque protulit sententiam. Beatissimus vero Pater suffragiis auscultatis, Suam sententiam edere ad hunc usque diem distulit, divinum interim lumen imploraturus.

Subscripto itaque Cardinali S. R. C. Pro-Praefecto ac Causae Ponente, R. P. Salvatore Natucci, generali Fidei Promotore, meque Secretario accitis, sacrosancto Missae Sacrificio religiose litato, edixit: *Constare de instantanea perfectaque sanatione cum Sororis Mariae Franciscae Deperras ab osteosarcomate sinistri femoris, tum Mariae Benedictae De Maria a maligno tumore in sinistra inferioris abdominis parte.*

Hoc autem decretum rite promulgari et in acta Sacrae Rituum Congregationis referri mandavit.

Datum Romae, die 11 Februarii a. D. 1951.

✠ C. Card. MICARA, *Ep. Velitern., Pro-Praefectus*

L. ✠ S.

† A. Carinci, Archiep. Seleuc., *Secretarius*

## III

## TUNQUINEN.

BEATIFICATIONIS SEU DECLARATIONIS MARTYRII SERVORUM DEI IOSEPHI MARIAE DIAZ SANJURJO, O. P., EPISCOPI ET VICARII AP. TUNQUINI CENTR., MELCHIORIS GARCIA SAMPEDRO, O. P., EPISCOPI TRICOMIEN., IN EODEM VICARIATU SUCCESSORIS ET SOCIORUM IN ODIUM FIDEI, UTI FERTUR, INTEREMPTORUM.

SUPER DUBIO

*An constet de martyrio et causa martyrii, nec non de signis seu miraculis in casu et ad effectum de quo agitur.*

Dominus noster Iesus Christus, ut humani generis redemptionem operaretur, venit in mundum factus homo et *in sanguine suo redemit nos Deo* (Ap., 5, 9), *delens quod adversus nos erat chirographum decreti, quod erat contrarium nobis... affigens illud cruci* (Col., 2, 14), in qua occisus quidem fuit, sed triumphavit occisus, uti dixerat: *Et ego si exaltatus fuero a terra omnia traham ad meipsum* (Io., 12, 32).

Iamvero quoniam Ecclesia divini Redemptoris personam induit eiusque prosequitur operam, parem cum ipso subire debet condicionem.

Quod ipse Dominus aperte prophetavit, dicens: *Si me persecuti sunt, et vos persequentur* (Io., 15, 20), quod facto evidenter comprobatum est. Ecclesia enim, ab initio ad nostra usque tempora, semper persecutiones est passa, ast victrix semper triumphat novoque robore virescit. « Morte enim martyrum, ut scribit S. Ambrosius, religio defensa, cumulata fides, Ecclesia roborata est: vicerunt mortui, victi persecutores sunt » (De exc. Satyri, P. L., 16, 1384).

Immanis fuit persecutio, quam Tunquinensis Ecclesia in duobus Apostolicis Vicariatibus, Ordinis Praedicatorum curae commissis, sub rege Tu Duc, ab anno 1856 ad annum 1862 mirabili fortitudine sustinuit. Tunc enim plura Christianorum milia, divina virtute roborati, mortem potius subire parati, quam a fide desciscere, atrociter necati sunt. Ex his die 15 Aprilis anno 1906 duo Vicarii Apostolici aliique a Ven. Pio X Beatorum fastis ascripti sunt. Aliorum mille ducentorum septuaginta octo, die 14 Novembris 1917, causa apud sacram hanc Congregationem fuit introducta. Verum cum impossibilis sit una omnium et singulorum pugilum iuridica pertractatio, actores prudenter ex his (quorum causa introducta est et Apostolicus processus adornatus), viginti quinque tantum interim selegerunt de quorum martyrio apud sacram hanc Congregationem causa esset pertractanda. Hi sunt: 1. Iosephus Maria Diaz Sanjurjo, O. P., Episcopus Plataearum, Vic. Apost. Tunq. Centralis; 2. Melchior García Sampedro, O. P. Episcopus Tricomiensis, Vic. Apost. Tunq. Centralis; 3. Dominicus Ninh; 4. Laurentius Ngôn, paterfamilias; 5. Dominicus An-Khám, paterfamilias; 6. Lucas Cai-Thin, paterfamilias; 7. Iosephus Cai-Tà, paterfamilias; 8. Dominicus Mao, paterfamilias; 9. Vincentius Tùòng; 10. Dominicus Nguyên; 11. Andreas Tuóng; 12. Dominicus Nhi; 13. Petrus Da; 14. Iosephus Tuân; 15. Petrus Dúng; 16. Petrus Thuân; 17. Vincentius Duong, paterfamilias; 18. Dominicus Toâi; 19. Dominicus Huyên, paterfamilias; 20. Dominicus Mâu, sacerdos O. P.; 21. Iosephus Tuân, sacerdos O. P.; 22. Iosephus Tuc; 23. Dominicus Câm, sacerdos III Ord. Praed.; 24. Thomas Khuông, sacerdos III Ord. Praed.; 25 Paulus Doung.

Hi vigintiquinque secundum, post iam beatificatione honestatos, Tunquinensium martyrum constituunt gloriosum agmen.

Morali certitudine nullimode dubitari de testium veracitate potest, etiam quia eorum testimonia cum documentis concordant.

Evidenter formale martyrium ex parte tyranni constat ex actis eiusque decretis. Historice certo scimus Tu Duc catholicam religionem ardenter odisse. Aliqualis politicus finis non videtur negandus quod ad exteros, sed verus princepsque fuit religionis odium. Ipse enim prohi-

buerat sub capitali poena omnibus Europaeis missionalibus catholicam religionem praedicare; omnem sacram supellectilem comburi, Ecclesias, presbyteria ac religiosorum conventus deleri iusserat: ex his aliisque adiunctis evidenter eruitur odium regis Tu Duc contra christianos in genere et Episcopos, sacerdotes et religiosos in specie.

Ad subditos quod attinet nullus politicus finis potest praetendi, quia si ipsi fidem catholicam abiurassent illico salvi facti fuissent. Ulterius ex actis constat fere omnibus propositum fuisse crucem conculcare, uti conditionem sine qua mortem evadere non potuissent.

Quae omnia diligenti studio in Antepraeparatoria Congregatione coram Rmo Cardinali Alexandro Verde, Causae Ponente, die 3 Maii anno 1949 habita, perpensa sunt; cui die 21 Februarii elapsi anni Praeparatoria successit: demum die 30 Ianuarii anni huius, Generalis coram Ssmo D. N. Pio Papa XII habita est, in qua idem Cardinalis Ponens dubium disceptandum posuit: *An constet de martyrio et causa martyrii, nec non de signis seu miraculis in casu et ad effectum, de quo agitur.* Rmi Cardinales, Officiales Praelati, Patresque Consultores suum suffragium dederunt. Beatissimus vero Pater supremam sententiam ferre ad hanc distulit diem.

Accitis itaque ad Se Rmis Cardinalibus Alexandro Verde Causae Ponente seu Relatore, atque infrascripto S. R. C. Pro-Praefecto, R. P. Salvatore Natucci, generali Promotore Fidei meque Secretario, divina hostia sancte litata edixit: *Ita evidenter constare de martyrio et causa mortyrii Iosephi Mariae Diaz Sanjurjo et Melchioris García Sampedro Episcoporum et aliorum viginti trium Sociorum, ut, concessa a signis seu miraculis omnique alia opportuna et necessaria dispensatione, procedi possit ad ulteriora.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Sacrae Rituum Congregationis referri mandavit.

Datum Romae, die 11 Februarii a. D. 1951.

✠ C. Card. Micara, Ep. Velitern., *Pro-Praefectus*

L. ✠ S.

† A. Carinci, Archiep. Seleuc., *Secretarius*

# ACTA TRIBUNALIUM

## SACRA ROMANA ROTA

### *Citatio edictalis*

### NANCEIEN.

NULLITATIS MATRIMONII (BELLAMY-PICAUDÉ)

Cum ignoretur locus actualis commorationis Dominae Genovephae Picaudé, conventae in causa de qua supra, eandem citamus ad comparendum, sive per se sive per procuratorem legitime constitutum, in sede tribunalis S. Romanae Rotae (Roma, Palazzo della Cancelleria) die 30 Aprilis 1951 hora meridiana, ad concordandum de dubio disputando, vel infrascripto subscribendum et ad diem designandam, qua habebitur Turnus Rotalis pro causae definitione.

*An constet de matrimonii nullitate, in casu.*

Ordinarii locorum, parochi, sacerdotes et fideles quicumque notitiam habentes de loco commorationis praedictae Dominae Genovephae Picaudé curare debent, ut de hac edictali citatione ipsa moneatur.*

Boleslaus Filipiak, *Ponens.*

Ex Cancellaria Tribunalis S. R. Rotae, die 12 Februarii 1951.

O. Bejan, *Notarius.*

Etant inconnu le lieu de la demeure actuelle de Mme Géneviève Picaudé, defenderesse en cette cause, nous la citons à comparaître, par propre personne ou par un procureur légitimement constitué, au siège du Tribunal de la S. Rote Romaine (Roma, Palazzo della Cancelleria) le 30 avril 1951, à 12 heures, pour concorder ou souscrire le doute ci-dessous rapporté, et fixer le jour de la décision de la cause devant la Rote.

*Conste-t-il de la nullité du mariage dans le cas?*

Les Ordinaires des lieux, les curés, les prêtres, les fidèles ayant connaissance du lieu de la résidence de la dite Géneviève Picaudé devront, dans la mesure du possible, l'avertir de la présente citation.

# DIARIUM ROMANAE CURIAE

## SEGRETERIA DI STATO

### NOMINE

Con Biglietti della Segreteria di Stato, il Santo Padre Pio XII, felicemente regnante, si è degnato di nominare:

29 dicembre 1950. L'Illmo e Revmo Monsig. Antonazzi Giovanni, *Pro-Segretario dell'Economia della Sacra Congregazione de Propaganda Fide.*

1 gennaio 1951. L'Illmo e Revmo Monsig. Guerri Sergio, *Segretario della Commissione Cardinalizia per l'Amministrazione dei Beni della Santa Sede.*

2 » » L'Illmo e Revmo Monsig. Galletti Domenico, *Sotto-Segretario Aggiunto della Sacra Congregazione del Concilio.*

11 » » L'Illmo e Revmo Monsig. Martini Marco, *Sotto-Datario di Sua Santità.*

22 » » Il Revmo Don Arnoldo Van Lantschoot, dell'Ordine dei Premostratensi, *Vice-Prefetto della Biblioteca Apostolica Vaticana.*

26 » » L'Illmo e Revmo Monsig. Caprio Giuseppe, *Consultore della Sacra Congregazione de Propaganda Fide.*

30 » » I Revmi Padri Gemelli Agostino, dell'Ordine dei Frati Minori, e Bidagor Raimondo, della Compagnia di Gesù, *Consultori della Sacra Congregazione della Disciplina dei Sacramenti.*

16 febbraio » L'Emo e Revmo Signor Cardinale Pizzardo Giuseppe, *Segretario della Sacra Congregazione del Sant'Offizio,* conservando la Prefettura della Sacra Congregazione dei Seminari e delle Università degli Studi.

19 » » L'Emo e Revmo Signor Cardinale Micara Clemente, *Presidente della Pontificia Opera per la Preservazione della Fede e per la provvista di nuove Chiese in Roma.*

20 » » L'Emo e Revmo Signor Cardinale Micara Clemente, *Membro della Sacra Congregazione del Sant'Offizio.*

LIBRERIA EDITRICE VATICANA
CITTÀ DEL VATICANO

# CONSTITUTIO APOSTOLICA

Qua universale Iubilaeum Anno Domini MDCCCCL Romae celebratum ad catholicum orbem extenditur

## INSTRUCTIO

Ad omnes Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos et alios locorum Ordinarios
DE IUBILARI ANNO QUI AD UNIVERSUM CATHOLICUM ORBEM EXTENDITUR
Lit. 100 ($ 0,20)

---

Novissime prodiit:

# MISSA IN ASSUMPTIONE B. M. V.

DIE 15 AUGUSTI

Haec Missa forma editur omnibus Missalibus apta
Typis clarissimis, rubris et nigris – Lit. 15 ($ 0,05)

---

PIO XII

Editio anglica, gallica, germanica, hispanica, italica, lusitanica

# ENCYCLICA "HUMANI GENERIS"

De nonnullis falsis opinionibus quae catholicae doctrinae fundamenta subruere minantur
Lit. 60 ($ 0,10)

# ADHORTATIO APOSTOLICA

Ad Clerum universum pacem et communionem cum Apostolica Sedem habentem
DE SACERDOTALIS VITAE SANCTITATE PROMOVENDA
Lit. 100 ($ 0,20)

# CONSTITUTIO APOSTOLICA

QUA FIDEI DOGMA DEFINITUR DEIPARAM VIRGINEM MARIAM FUISSE CORPORE ET ANIMA AD CAELESTEM GLORIAM ASSUMPTAM

editio latina, anglica, gallica, germanica, hispanica, hollandica, italica, lusitanica, polonica
Lit. 60 ($ 0,10)

---

CONSTITUTIO APOSTOLICA

*"SPONSA CHRISTI"*

## DE SACRO MONIALIUM INSTITUTO PROMOVENDO

INSTRUCTIO SACRA CONGREGATIO DE RELIGIOSIS AD EAMDEM CONSTITUTIONEM IN PRAXIM DEDUCENDAM
Lit. 100 ($ 0,20)

LIBRERIA EDITRICE VATICANA
CITTÀ DEL VATICANO

# ANNUARIO PONTIFICIO 1951

CON RITRATTO DI S. S. PIO XII E STEMMA A COLORI - LEGATURA IN TELA, TITOLO IN ORO
Lit. 1300 ($ 2,50)

*La serie dei Romani Pontefici secondo la cronotassi della* Liber Pontificalis *e le sue fonti - La Gerarchia Cattolica: Pontefice regnante - Collegio dei Cardinali - Patriarcati - Arcivescovati - Vescovati residenziali - Arcivescovati e Vescovati titolari - Abbazie e Prelature* nullius *- Amministrazioni Apostoliche* ad nutum Sanctae Sedis *- Prelati di rito orientale con giurisdizione ordinaria - Vicariati Apostolici - Prefetture Apostoliche - Missioni* sui iuris *- Custodia di Terra Santa - Religiosi - La Curia Romana - Sacre Congregazioni - Tribunali - Uffici - Rappresentanze della Santa Sede - Corpo diplomatico presso la Santa Sede - Commissioni permanenti - La Cappella Pontificia - La Famiglia Pontificia - Elemosineria Apostolica - Uffici e amministrazioni Palatine - Ordini equestri - Stato della Città del Vaticano.*

APPENDICE: *Vicariato di Roma - Vicariato della Città del Vaticano - Istituti di studi superiori - Accademie Pontificie - Istituti Ecclesiastici di educazione e di istruzione - Istituto per le Opere di Religione - Elenchi alfabetici degli appartenenti alla Cappella e alla Famiglia Pontificia - Elenco alfabetico degli Ordini, Congr. e Istituti Religiosi Femminili di Diritto Pontificio - Dati statistici - Distribuzione geografica delle Sedi residenziali, Vicariati e Prefetture apostoliche, ecc. - Riti - Elenco alfabetico dei nomi* de Curia *- Elenco alfabetico dei nomi latini degli Ordini, Congr. ed Istituti Religiosi - Sigle dei Religiosi - Dignitari defunti - Indice alfabetico dei nomi delle persone - Indice delle materie - Indice schematico del volume.*

---

*NOVISSIME PRODIIT:*

# ORDO SABBATI SANCTI

## QUANDO VIGILIA PASCHALIS INSTAURATA PERAGITUR

**Fasciculus 40 paginarum, ad formam Missalis, rubris ac nigris typis, una cum cantus adnotatione, nitide impressus, continens integrum ritum Sabbati Sancti, rubricas scilicet et textus, ad normam Decreti diei 9 febr. 1951 digestum.**

**Fasciculus, S. Congregationis Rituum cura editus, utillimus erit pro iis omnibus qui vigiliam paschalem instauratam celebraturi sunt.**

Volumen linteo anglico contectum sectione foliorum rubra Lit. 600 ($ 1)
Volumen solutum Lit. 400 ($ 0,70)